EPISTOLA PASTORALIS

AD CLERUM ET POPULUM

ECCLESIÆ CUNEENSIS



ROMÆ MDCCCXL.

EXCUDEBAT ALEXANDER MONALDI

IMPRIMATUR

Fr. Ang. Vincentius Modena O. P. S. P. A. M. Soc.

IMPRIMATUR

A. Piatti Patriarch. Antioch. Vicesg.

JOSEPH AUGUSTINUS SALOMONI

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

ECCLESIAE CUNEENSIS EPISCOPUS

SS. DD. NN. PAPAE GREGORII XVI.

PRAELATUS DOMESTICUS ET PONTIFICIO SOLIO ASSISTENS

VENERABILIBUS FRATRIBUS ET FILIIS IN CHRISTO DILECTISSIMIS

DIGNITATIBUS, CANONICIS, CLERO UTRIQUE
ET POPULO CIVITATIS ET DIAECESIS

Salutem et Benedictionem a Domino sempiternam.

Quam incomprehensibilia sunt judicia Dei, et investigabiles viae ejus! Quintus vix volvebatur annus ex quo, relicto pastorali ministerio, peculiari Canonico Theologo in insigni Casalensi Cathedrali Ecclesia concredito officio Sacram Scripturam exponendi, ac dein Ethicam Christianam practice tradendi una cum caeteris sacerdotalibus muneribus pro virium tenuitate perfungebamur, dulcissima spe firmoque animi proposito mortalium dierum cursum in humilitate quidem consepulti, at suavissime consummandi, quum repente Augustissimi Regis Caroli Alberti voce nos ad Cuneensem Ecclesiam regendam designatos persensimus. Nemo certe mirabitur, ab hoc nuncio subito perculsos aliquantulum haesisse, et tantum onus illico recusandum judicasse. Excitabat utique Religiosissimi Regis voluntas; at grave officiorum pondus et dotum necessitas quas in Episcopis requirit Apostolus, animum penitus dejiciebat. Urgebat gloriae Dei et animarum salutis, quod non deesse sentimus, desiderium; sed Episcopale munus, si viros quotquot pietate ac doctrina praestantissimos omni aetate perterruit,

Quanto magis nos, qui in hac temporum calamitate id oneris suscepturi sumus, perterrefacere debebat? Atque, ut cor nostrum aperte pateat, vos latere non sinemus, timorem quoque incessisse ne hinc vepres, illinc zizaniae inter vos, utpote vineam nuper extructam, agrumve recens effossum divellendae aut eradicandae superessent; nosque nimis inexpertum cultorem persentientes, manum pedemque admovere non audebamus, donec ea, quae de pietate vestra animique ad omnem virtutem instructi docilitate audivimus, metum omnem pepulere, cor nostrum consolata sunt, atque affulgentibus supernae voluntatis signis ad humeros huic oneri supponendos concitarunt. Qua quidem in re bonum opus sapientia sua, ac benignitate praestitit optimus Episcopus Casalensis Franciscus Icheri de Malabaila, quem statim hic honoris, et grati animi titulo nominare, debitum, et gaudium.

Neque sane mirandum vos, tamquam modo genitos infantes, quoad spirituale regimen, tam cito in virtute adolevisse; vobis enim Deus in miserationum suarum abundantia primum Pastorem concesserat, qui talem vere in omnibus sese exhibuit, sive zeli fervore in novae Diaecesis perlustratione, sive sapientia in primae synodi celebratione, ex qua tot praeclara bona, tot uberrimi fructus, tot spirituales profectus emanarunt, sive charitatis ardore eo maxime tempore, quo inscrutabili Dei judicio exitialis morbus inter vos saeviebat, et vere bonus Pastor, qui animam suam dat pro ovibus suis, extitit, ita ut vobis inter communem luctum, atque moerorem solatio, et consolationi esset, bonorum omnium admirationem, ac munificentissimi Regis benignitatem ac religionem in se converteret: ipsum vestri patrem amantissimum assiduis precibus juvate, ejusque memoriam sempiterno grati animi sensu recolite.

Post haec cor vestrum, animum, oculosque convertite in nos, qui omnium quotquot in domo Dei sunt, ut ut indignissimi, attamen ii modo sumus, quibus Dei providentia, Epi-

scopale fastigium in Ecclesia vestra confirmatur, ac veluti consolidatur. En itaque per Eminentissimum ac Reverendissimum D. D. Philippum Fransoni S. R. E. Cardinalem virum omnigena virtute praeclarissimum, cui Deus omnia prospera semper concedat, sacro Chrismate deliniti, per impositionem manuum ministerii corroborati, jampridem a Carolo Alberto denuntiati, nunc a Gregorio XVI. P. O. M. in Episcopum vestrum assumpti; atque ex hoc puncto cogitationes nostrae, sollicitudines, desideria, affectiones omnes erga vos sponte sua diriguntur. Quare moras omnes statim rumpere et ad vos illico convolare nobis datum non est? Ecur vobis non est concessum nosmetipsos rectorem mitissimum, vultu affabilem, visu facilem experiri, imo patrem amantissimum, quales semper futuros sentimus, ac promittimus, vel hodierna die conspicere? Quid modo proferam, quid loquar? Ad alia ab iis quae ad vos ipsos spectant, sermonem nostrum convertere, cor ipsum non patitur. Eadem igitur charitatis atque cordis abundantia, qua ad vos mittimus, epistolam hanc nostram, Cuneenses dilectissimi, excipite.

Vos in primis excipite, Venerabiles in nostra Cathedrali Ecclesia viri dignitate fulgentes, Canonici, quos intueri, amplecti, et in Domino osculari percupimus; vos corona nostra, senatus noster. Vestrum omnium, quos ad istius Ecclesiae aedificationem adlaboraturos vehementissime confidimus, consilio et ope nihil humilitati nostrae utilius contingere poterit, nihilque nobis jucundius erit, quam vobiscum in Domo Dei cum consensu ambulare, et servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Quod jure estis, re esse pergite, ut quemadmodum caeteris in Clero dignitate antecellitis, in virtute quoque praecedatis; dumque hymnis, et canticis spiritualibus Deum glorificatis, Ecclesiae preces ac ritus, ea qua par est decentia peragitis, evangelicis concionibus, Sacramentis administrandis intenti estis, tanquam candelabra supra montem posita, sic luceatis, ut omnes,

[illegible], qui in Domo, in Civitate, in tota Diaecesi sunt, a vobis et regulas disciplinae et vitae sanctitatem perdiscere possint.

Excipite deinde vos, Adjutores nostri in vinea Domini fideliter excolenda, animarum Rectores dilectissimi. Quos honoris titulos usurpabimus, dum vos compellare properamus, vos genus patientiae et laboribus supra modum exercitum? Vos, quibuscum et labor, et curae communes nobis sunt, pondus diei, et aestus portantes, Diaecesis subsidium, et ornamentum vere constitutis. Nos e vestro caetu olim fuimus, quum Paraeciam Sancti Dominici Casalis aliquot per annos regeremus. Nos scopum, uti par est, non attigisse dolemus, at quae vestra dignitas sit et quae praemia mereamini, satis intelleximus. Ex nonnullis, de quorum prudentia, pietate, doctrina et charitate plura accepimus, de caeteris idem et esse et futurum, unumquemque scilicet in Dominici gregis portione quam sortitus est, partes omnes expleturum, suavissima inductione speramus. Pergite quo coepistis: pascite qui in vobis est gregem, non coacte sed spontanee secundum Deum, non turpis lucri gratia, sed charitate compulsi, forma facti gregis ex animo: maxime vigilate istis, quibus vivimus, temporibus: lectioni attendite, ut potentes sitis fideles in doctrina sana exhortari, et eos, qui contradicunt, arguere: assidua verbi Dei praedicatione, ac Sacramentorum administratione, ministerium vestrum implete, in omnibus laborate; potissimum vero studium pacis, et charitatis vobiscum, et cum plebe christiana vobis concredita, perpetuo servate. Unum adhuc monemus nos quocumque tempore, quavis hora Patrem vestrum, consolatorem, protectorem, ut vires dederint, futuros toto corde pollicemur; vos rem pergratam, et opus sanctum facturos, ubi frequenter ea, quae ad vestrum, ac nostrum gregem pertinent, nobis referatis, ut quae ad Ecclesiae et animarum aedificationem stabilienda, aut tollenda, aut confirmanda erunt collatis simul consiliis definire valeamus. Sic facientes duplici honore digni eritis, pretiosa beneficia in

Ecclesiam, et Diaecesim conferetis, innumeraque merita apud Deum in Coelis remuneranda congeretis.

Vos excipite, quotquot estis in domo Dei Sacerdotali dignitate insigniti, quosque paterna affectione amplectimur, et adhortamur ad digne ambulandum in vocatione qua vocati estis. Vos estis lux mundi, et sal terrae; praefulgeatis igitur oportet sanctitate et doctrina. Sancti et perfecti estote, sicut Deus Sanctus est, et Pater vester Coelestis perfectus. Nihil umquam aut de ore vestro exeat, aut in moribus vestris conspiciatur, quod non solum vitium aliquod sapiat, sed ne ipsius quidem decoris lineas transiliat. Quod quidem rogamus, non quia virtutem vestram perspectam non habeamus, sed ut abundetis magis proficientes de virtute in virtutem, et profectus vester notus sit omnibus; conversatio enim vestra quasi in specula constituta, magistra est publicae disciplinae: quidquid feceritis, id sibi omnes faciendum putant, et qui, juxta Divum Isidorum, in erudiendis atque instituendis in virtute populis praerit, necesse est, ut in omnibus Sanctus sit, et in nullo reprehensibilis habeatur. At in sacro vestro ministerio sanctitas, ut ut necessaria, non sufficit, nisi adjunctam habeat comitemque doctrinam. Quam ut adipiscamini, tempus omnemque operam vestram studio, labori impendite; nolite oblivisci, hisce nos vivere temporibus, quibus Ecclesiae Dei Ministris non modo instituendi sunt rudes, et Christianis elementis parvuli imbuendi, et simplices in fide confirmandi, sed colluctari oportet adversus graves et adsiduos hostes, quorum alii religionem ipsam evellere, fidem ludibrio exponere conantur, alii vitiis serviendo et cupiditatibus indulgendo in lacrymabili indifferentia quoad religionem et aeternam salutem vivere non erubescunt. Nostrum, qui Pastores et Christi Ministri sumus, aggredi, collatis armis superare, instruere, excitare; at ubi vires, ubi spiritus, ubi armentarium nisi in Thesauris Scientiae? Eam intelligimus scientiam, quam sapientiam Sanctorum vocamus,

quamque Deus per filium suum manifestavit, quaeque in Scripturis sacris, in Patrum traditionibus et Ecclesiae Conciliis, tamquam sacrum depositum continetur. Depositum hoc custodite, utriusque Testamenti paginas, et Sanctorum Patrum documenta evolvite, meditamini, et, si oportet, cadentem somno genam pagina Sancta suscipiat. Hoc pacto, vos vere in sortem Domini vocati, Christi Ministri, fideles dispensatores mysteriorum Dei, et Ecclesia ista, vinea electa, placita Domino, uberrimos fructus proferens in tempore suo.

Haec vobis potissimum dicta sint, adolescentes optimae spei, Seminarii nostri alumni, clerici omnes dilectissimi: vos gaudium nostrum, solatium, oculi pupilla. In vos cor nostrum veluti sponte sua fertur; quippe in Casalensi Seminario per plures annos sub clarissimo, omnique virtutum genere instructo viro, adolescentium studiis speciali animi laetitia praefuimus, eorumque moribus instituendis simul adsuevimus. Ego ero vobis in patrem, vos eritis mihi in filios: ego protector, et defensor vester, vos delicium animae meae. At satagite ut spiritum hujus saeculi penitus abjiciatis; spiritum enim Domini, et Christum ipsum oportet vos induere. Vos aliquando Sacerdotes Domini vocabimini: ministri Dei, dicetur vobis: Ergo religio, pietas, charitas, scientia, modestia, ecclesiastica disciplina, in omnibus et ubique comitentur, ac in dies effulgeant: mementote et optimis disciplinis imbutos, virtute conspicuos, moribus integerrimos imo sanctos Diaecesim hanc vos expectare, ut tamquam novella germina a Supremo Patrefamilias in domo sua plantata, et quotidiana irrigatione enutrita in hortus suos, animarum Rectores, misteriorum dispensatores, verbi Dei praecones, bonorum operum fructus in Ecclesiae aedificationem, atque animarum salutem, tempore suo afferatis. Oculos igitur conjicite in tot spectatissimos viros, qui vos praecedunt; maxime vero docilitate, atque observantia prosequentes eos, qui praesunt, quippe qui ad vos omni scientia ac sancti-

tate informandos prompti, et apti, pervigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris: sic agite, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes, hoc enim non expedit vobis.

Neque vos omnes, qui religiosis Ordinibus nomen dedistis, quique in variis Diaecesis nostrae Caenobiis versamini, aut oblivisci, aut praeterire possumus. Vos hujus mundi seductionum, ac vanitatum victores veram evangelicam sapientiam, atque sanctitatis viam edocetis et sternitis. Jam novimus, vobisque gratulamur, quanto fructu verbi Dei praedicatione sanam doctrinam diffundatis, qua eximia charitate peccatores omnes excipiatis, atque quantum in vobis est, omnes ad veram poenitentiam, et salutem perducere parati sitis. Sinite nos gratias referre, simulque adhortari, ut sancta vestrorum Ordinum Institutorum vestigia sequentes, in perfectionis tramite constanter incedatis, atque dum pedibus terram teritis, spiritu, et corde caelestia inhabitantes, vestra praedicatio ac operatio, non tantum in sermone sit, sed in spiritus, et veritatis ostensione; sicque dum tales eritis, quales Patres vestri fuerunt, nobis, quoties opus fuerit, pro spirituali Diaecesis utilitate maximo adjumento fore vel ex nunc speramus, vosque laborum mercedem, et meritis parem coronam gloriae accipietis.

Nunc vos alloquar, inclitae Christi sponsae, Virgines Sanctae, quae in Civitate Cuneensi, sub Sanctae Clarae auspiciis, saeculi illecebris abdicatis, Evangelicis consiliis obsequentes, in rerum coelestium contemplatione suavissime degitis. Pergite, pergite. Sacra promissa recto corde servate: Antistiti vestrae in omnibus subjectae, specialia officia in bona conscientia et sincera voluntate adimplete: altera alterius onera et infirmitates portate, mutuae charitatis dilectione et honore invicem praevenientes. In precum vestrarum fervore, ex quibus tot bona in Diaecesi nostra, cujus electa portio vos estis, speramus, exiguitatem nostram committimus. Neque vos praeteribimus quae

puellarum pauperum educationi, et infirmorum levamini, sub SANCTI JOSEPHI denominatione dicatae praeestis: cuncta odore suavissimo et vos adimplete: discipularum teneris animis timorem Dei insculpite, non tam corporis aegritudinum quam animae praesertim indigentiae maxime sollicitae, ut omnes vobiscum in sanctitatis et aeternae salutis viam deducatis.

Ad vos in Epistola nostra modo convertemur, Eximii, Cuneensis Civitatis Magistratus sive civilibus sive militaribus rebus praepositi: Optimi Regis, Legati, Administri Optimi. Etiamsi ad spiritualia bona curanda vos non posuerit Deus, Religioni tamen pietate, auctoritateque vestra plurimum consulere potestis. Eam igitur, prout a vobis maxima animi nostri consolatione praestitum novimus, pro virili tutamini, ejus jura promovete, ut sacris ministris debitus exhibeatur honor, curate. Regna enim, ubi religio viguit, quemadmodum perpetua historia comprobat et felicissima experientia nobis confirmat, splendore ac potentia floruerunt; et quando amice conspirant, ac sibi mutuo opitulantur Ecclesia et civilis potestas, vere dici potest regnum Dei in terris esse. Date igitur manum, porrigite dexteram, ut nihil in Diaecesi nostra ac Provincia vestra desit ad finem a Deo humanae societati impositum obtinendum.

Libenter quoque ad vos verba nostra dirigemus, quotquot estis, patricium genus, Optimates nobilitate ac Divitiis conspicui, quos ut filios charissimos Ecclesia haec complectitur. Praecipuum Diaecesis nostrae ornamentum vos constituitis, at sicut potentia et dignitate antecellitis, ita pietate, mansuetudine, humilitate, charitate praecedere debetis. Ex Apostoli oraculo Divitibus hujus saeculi praecipere debemus non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui praestat nobis omnia abunde ad fruendum. Unum prae caeteris addemus, Deum scilicet fecisse nobilem et ignobilem, liberum ac servum, divitem et pauperem, ut prior benevole, largiterque sua tribueret, alter cum humilitate gra-

toque animo accipiendo, uterque simul providentiam Divinam in hac vita benedicendo, felicitatem aeternam consequeretur.

Omnes denique simul alloquimur, Cuneenses dilectissimi, quotquot estis, cujuscumque conditionis, aetatis ac sexus, et fortunae, iisdem charitatis visceribus omnes pariter in Domino complectimur: ad vos omnes venire, et unicuique aliquid spiritualis gratiae impertiri percupimus. Contestamur autem hodierna die, nos in simplicitate, et mansuetudine Christi ad vos venire, nihilque aliud nobis propositum esse et usque ad mortem curaturos quam nostram ac vestram sanctificationem, non coacte sed spontanee, non turpis lucri gratia, sed voluntarie, non quasi dominantes in Clero, sed forma facti gregis ex animo, non nostra cogitantes sed vestra, et quae Jesu Christi sunt, pro cujus gloria et vestra salute, si opus fuerit, animam ponere parati sumus. Jubet Apostolus exemplum esse fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate. Quidquid igitur virtutis, et sanctitatis in vobis invenerimus, intuebimur, imitabimurque. Satagite et vos Pastorem vestrum agnoscere, audire lubentes et fideles sequi. Tunc enim virga, quae nobis data est, virga erit directionis, qua vos ad salubria pascua pro nostra exiguitate deducamus et super aquam refectionis educemus. Hoc pacto omnes nos aliquando, Deo adjuvante, simul cooptabimur in Ecclesiam illam, non habentem rugam, neque maculam, sanctam, immaculatam, quam Joannes in Apocalipsi exaltatam, et triumphantem vidit, et admiratus est.

Quae quidem omnia ut impetremus, preces fundendae sunt apud Deum Patrem Omnipotentem, a quo est omne bonum et omne donum perfectum: orationi instandum est, ut nos efficiat quales esse debemus: ut ipse per nos ab omnibus creaturis glorificetur, et omnium nostrum sanctificationem operetur. Rogate pro sanctissimo Domino nostro Gregorio P. P. XVI. quem Jesus Christus Salvator noster Vicarium suum et Uni-

versae Ecclesiae Pastorem constituit, ut Christianae Reipublicae felicitati Deus diu sospitem servet, magnificet in timore inimicorum, et glorificet in conspectu Regum, ut congreget populos Israel, et dispersos Judae a quatuor plagis terrae colligat. Rogate Deum pro magnanimo ac Religiosissimo Rege nostro CAROLO ALBERTO, ut ei misericordiae suae abundantia benedicere pergat, ut sub umbra Throni ipsius sedeant populi in pulchritudine pacis, et subditi ejus in requie opulenta. Rogate pro incolumitate Augustissimae Reginae nostrae MARIÆ THERESIÆ, in qua verae pietatis exemplar, pauperum levamen et omnium nostrum aedificationem habere laetamur; rogate et pro EORUM FILIIS ALLOBROGUM et GENUENSIUM DUCIBUS, quibus totius Regni laetissima spes innititur: rogate et pro Clementissima Regina MARIA CHRISTINA BORBONICA, et pro Universa SABAUDORUM STIRPE. Item orate pro conservatione viri praeclarissimi, Excellentissimi, et Reverendissimi Taurinensis Archiepiscopi ALOYSII FRANSONI Metropolitani amantissimi, quem amore, reverentia, atque observantia prosequi volumus. Infirmitatis autem nostrae, ut numquam in orationibus vestris obliviscamini, toto corde petimus.

Quae vota ut efficaciora evadant, coelitum praesidium invocemus. Primum quidem B. VIRGINIS MARIAE, cujus Purificationis titulo Cathedrale templum dicatum est, nec non B. MICHAELIS ARCHANGELI, et B. ANGELI A CLAVASIO, quem Compatronum elegistis, et peculiari devotione colitis. Hac praecipue tutela freti lumen speramus indeficiens ad cognoscendum, vires ad operandum, fortitudinem ad superanda pericula. Vos ipsi confortamini in Domino, quia qui coepit in nobis opus bonum, perficiet, solidabitque. Sitque vobis amoris nostri, atque sollicitudinis pignus pastoralis benedictio, quam peramanter omnibus impertimur. Gratia Domini nostri Jesu Christi sit cum omnibus vobis. Amen.

Dabam. Romae extra Portam Flaminiam ipsa Consecrationis nostrae die. V. Non. Majas. An. MDCCCXL.